...um.

Petricoviensis Scholar. Piar. Collegii: Plenitunium doloris

PLENILUNIUM
Doloris.
JLLUSTRISSIMI
&
EXCELLENTISSIMI DOMINI,
D. STANISLAI
DONHOFF
PALATINI POLOCENSIS,
CAMPIDUCTORIS M. D. L.
NEOCORCINENSIS, MOZIRIENSIS, &c. CAPITANEI,
in decrescenti maternæ Cynthiæ, & vitæ,
JLLUSTRISSIMÆ
&
EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ,
D. CONSTANTIÆ
de Domo SŁUSZKARUM,
DONHOFFIÆ
MARIÆBURGENSIS PALATINÆ,
GENITRICIS SUÆ,
ab Obligatissimo Protectori suo
Petricovensi Scholarum Piarum Collegio
inter Parentales lachrymas
OBSERVATUM.
Anno
qvo Pulchra ut Luna Plenilunium Solatiorum
mundo attulit 1723.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis.

Utraq; decrevit SŁUSZKARUM Cynthia, postqvam
Ultima sustinuit tristia fata Nurus.
Hinc gemitus Patriæ, populis, Templisq;, Pijsq;
Musis, cunctorum palpebra stagnat aqvis.
Sic qvæ mille tulit secum solatia terris,
Cynthia decrescens, plena dolore cadit.

JLLUSTRISSIME
&
EXCELLENTISSIME DOMINE,
PALATINE POLOCENSIS,
DUX EXERCITUUM M. D. L.
PROTECTOR AMPLISSIME.

Q*Vantum Illuſtriſſimæ Genitricis caſus Tuum ad lachrymas contrivit pectus, vel ad hos deciduis collachrymantes guttis videmus cereos. Stetit in ſuæ decreſcenti lucis materna Cynthia, ſed Tibi mæroris attulit plenilunium, hebetatus ad mortis Saxum Patritius illius Enſis, ſed Tuum acuto ſatis dolore confixit pectus. Luges mortualibus vinctam inſtitis, cui corde & animo devinctus eras; commoreris mortuæ, à qva vitam cum*

)(*ſangui-*

ſangvine derivâſti, Augent doloris plenitudinem geminæ Prolis ſolatia mortis erepta latrociniô, cum qvibus ſpes omnes publicas ſuccidit in herba immitis falx Libitinæ. Iam enim ex primo juventæ flore fructum adultæ indolis præſagientis divinatio carpebat animi, jam ex aurora vitæ meridiem ulterioris ævi publica metiebantur auguria, huic Sigilla & clavas, illi Scipiones omnium devovebat expectatio, Atlantes Patriæ, Aſſertores legum, Fulcra Majeſtatum communis populi ominabatur ſenſus, cum ecce pyraticam profeſſa Lacheſis magnæ Spei onerariam ad ſepulchri lapidem velut ad infamem alliſit Scopulum & confregit. Qvanta hinc lugendi materia! vix cor Ducale non eripit immitis dolor, poſtqvam vitam cordis, animam vitæ, Illuſtriſſimam Genitricem *& cara pignora crudeles eripuerunt Parcæ. Venimus in Societatem luctûs, ut diviſus in plures mitiùs ſæviat dolor, totum etiam in noſtra vellemus transferri præcordia, dummodo Tui amplitudinem animi nullæ coarctent anguſtiæ. Scimus enim qvantum protectrici debemus gratiæ, idcirco noſtris damnis Tuæ detrimenta vitæ, noſtris luctibus Tuos mærores redimere volumus, Dolemus tantam Domûs Palatinæ cladem, nec prius ſæviens miteſcet dolor, donec hoc mæroris Plenilunium mille ſolatiorum plenitudine clementiores Tibi refundant ſuperi.*

Ut vovet

JLLUSTRISSIMO NOMINI TUO,

Devinctiſſimum Petricovienſe Collegium
Scholarum Piarum.

D O M

Loquere
facundè Orator, vive dolor!
dum tacet mortis silentio
toto vocalis orbe
CONSTANTIA
De Domo SŁUSZKARUM ultima,
virtute prima,
gestorum Magnitudine nulli secunda.
Et in splendore actiònum,
& in mortis umbra
ILLUSTRISSIMA.
Ut virtutis habitu
sic Senatorum purpuris ornatissima
MARIÆBURGENSIS PALATINA.
Genus illlius quæris?
illo prognata sanguine,
qui si guttatim flueret,
Ex gùttis singulis, singuli Reges nasci possent.
Majores non novit, nisi Maximos,
qui simul in mundum,
simul prodierunt in fastigia,
simul gressus & gradus formare didicerunt.
Jmplerunt faldistoria Præsules,
occuparunt curiam Senatores,
sederunt in Tribunalibus Judices,
arenam triverunt Heroes,
casus leuârunt Poloniæ Maximi Statores.
Sublimes honoribus, sublimiores factis.
Tyrum ditàre purpuris,
orbem fulcire scipionibus,
A syl-

ſylvas plantare palmis,
concatenatis annulis vincire Helleſpontum,
Civicis, caſtrenſibus, obſidionalibus coronis,
ipſum opprimere Capitolium potuerunt.
Lunas in ceris prætulit,
quód quantum præcedit clara minores Luna faces,
tantum luce originis cæteris anteiret.
Jn ZENOVICIA Paterna Avia
Regum ſerbiæ thronos,
in materna Avia MOHILANKA
CONSTANTINI Paleologi ſolia
Stephani Battorei Coronas.
in affinitatem traxit
mille diadematis coronanda,
Heu ingens dolor!
Filia lucis cognata Sereniſſimis
jacet extincta in cinere!
Colligata Inviĉtiſſimis
a morte victa vincitur inſtitis.
Affinis Celſiſſimis
depreſſa in tumulum
magnitudinem ſuam parvo hoc coarctavit compendio.
Lege tam difficilia anthitheta,
qui ſpectator advenis!
&
ſive diſcis vitam ex cádavere mortuo,
ſive plenam vanitatem terræ vides in pulveris nihilo,
CONSTANTIÆ
ſolidam beátitudinem,
S Ł U S Z K O V I Æ
Regnum perennis gloriæ,
PALATINÆ
Curulim cæli,
Umbræ mortis
lucem precare perpetuam.

DOM

D. O. M.

Adeste Cives!
Matrem Senatorum in exigua Curuli,
Jnvictam Heroidem in arena mortis,
Illustrissimam Palatinam in umbra sepulchri
spectate!
Nomen illius quæritis?
CONSTANTIA
ex SŁUSZKOVIJS
DENHOFFIA.
Herois vel sub sole una, vel Sol omnium.
Luxit sinè ullius luctu,
arsit ad omnium triumphos,
extincta est in lachrymis singulorum.
Ex Patre
BOGUSLAO SŁUSZKA
Thesaurario M. D. L.
prodijt in lucem velut de Thesauro Gemma.
Ex Matre
ANNA POTOCCIA,
id est Gratia,
nata Gratiarum compendium.
Rosæ adinstar evoluta in murice,
bonæ odorem spiravit famæ.
Penes ruborem Purpurarum candidissima;
Penes Consanguinearum unionem Domorum
tota Gemmea.
Vivens meritis & famâ,
moriens lachrymis & dolore implevit orbem.
Templa Fundatricem,
pupilli Matrem,
Mariæburgum Palatinam,
Affines Prosapiæ Ornamentum,

 unâ

unâ pupillâ unicum omnes deplorant Lumen.
Cernis
Principem RADZIVILIORUM Aqvilam?
nigro mærorem teſtatur colore.
Spectas
WISNIOWIECCIORUM, TYSKIEWICIORUM SIENIAWSCIORUM Lunam?
aquis amicum ſidus ſe exhibet,
ſed lachrymarum.
Vides SAPIEHARUM Sagittam?
non jam in laurum,
ut olim Amphiarai telum
ſed in triſtem effrondeſcit cupreſſum.
Fluvius Regnator aquarum
LUBOMIRSCIUS Sżeniava
ipſis non niſi manat lachrymis.
MNISZCHORUM Pennæ
doloris ſcribunt characteres.
ZAWISZARUM Olor
lugubri funera deplorat cantu.
Comitum de OSTROROG Faſcia
in ſpongiam abijt,
quæ rorantis palpebræ excipiat ſtillicidia.
Heu quot inſignes Domos
contrivit ad planctum unius caſus
CONSTANTIÆ!
Nullius lachrymas voluit vivens,
omnium habet moriens.
Abneptis Regum,
Filia Procerum,
Sponſa Senatorum,
Mater Ducum,
Semel mortua, ſemper dolenda.
DOM

D. O. M.

Lugete Posteri mortuam,
quam vix credatis fuisse mortalem.
CONSTANTIA
hæc est,
Herois ferreò hoc sæculo aurea.
inter Sanctas prudens, inter prudentes Sancta.
Patri
BOGUSLAO SŁUSZKA
solo dissimilis sexu,
nec genio, nec ingenio degener.
Quod ille inter Viros,
illa inter mulieres fuit.
Thesaurarij M. D. L. Filia,
Thesaurum se præbuit gratiarum.
VLADISLAO DONHOFF,
Mariæburgensi Palatino
ideò uxor data,
quia virtutis similitudine debita.
Quod Priamo regnatrix Hecuba,
Penelope Ulyssi, Lavinia Æneæ,
hoc illa Conjugi Palatino.
Pia, Pudica, Magnanima.
sinè pauperum oppressione gravis,
sinè colore candida,
sinè felle bona.
TERESSIAM
dedit sæculo,
verè Seraphicam!
quæ assiduâ in superos ardet flammâ,
ut scias hominem excessisse,
quæ Seraphicas mentes potuit generare.
Principi

CZARTORISCIO
M. D. L. VEXILLIFERO,
hanc dedit Sponſam,
ipſamet Sangvine & virtute
Princeps,
ſigna prætulit ſanctitatis.
Maſculam indolem ſortita
STANISLAUM,
Polocenſem PALATINUM,
Campiductorem M. D. L.
Deo & Patriæ virum genuit,
cui ſimilem optabit Senatus ad Curulim,
nec inveniet,
qværet Bellona ad clavam,
nec conſeqvetur.
Herois
tam magnas animas pariens,
ut gemino exhauſta ſit fætu.
Vixit annis ſeptuaginta,
Deo per fidem ſanctè,
Patriæ per merita illibaté,
Domui per famam glorioſè
Amicis per obſeqvia candide,
Laſſata meritis,
cum ulterius
in vitam non poſſet progredi,
qvievit in tumulo.
Anno,
Milleſimo, Septingenteſimo, vigeſimo tertio,
ſibi ultimo,

D.O.M.

D. O. M.

Viator,
luge & lege CAPUT
bonæ mentis hoſpitium,
conſiliorum arcem,
ſapientiæ domicilium.
Jn Regibus
Hiſpaniæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Caſtiliæ
diademate coronatum,
in ALEXANDRO II.
Apoſtolicis triregnis redimitum,
in Ducibus Franconiæ
mitris Principum decoratum,
in JOANNE CASIMIRO DONHOFF
Cardinalitijs revinctum Galeris,
in tot Heroibus laureis ornatum,
nunc fatalibus cinctum cupreſſis.
Qvi olim indomitus regnabat APER,
nunc dolori ſubditus
tributa pendit lachrymarum.
Stator Poloniæ
STANISLAUS
caſum Genitricis luget.
JLLUSTRISSIMUS
in umbra mæroris ſqvallet.
POLOCENSIS PALATINUS
palleſcit in purpura.
DUX EXERCITUUM
luctibus ipſis militat,
clavam regente fato.
COMES S.R.I.

 abeun-

abeunti in cælos Genitrici
CONSTANTIÆ
comites dat lachrymas.
Commoritur illi,
à qva vitam acceperat.
Dignus tanta Matre Filius,
digna tanto Filio Mater.
Heroum nata & Parens,
Gladium in ceris prætulit.
Cælis amica & astris,
Lunas in Stemma vocavit;
ipsamet Cynthia
genere, Sangvine, probitate
ILLUSTRISSIMA.
Mutari tamen nescia,
qvia
CONSTANTIA.
Meritis & virtute crescens,
vitæ subijt decrescentem,
eclypsim solatiorum Domui,
Plenilunium doloris Filio
relinqvendo.
Corda
qvæ sibi obligaverat vivens
monumenta fecit mortua
in marmoribus, amoribus,
moribus, oribus,
immortalis.

D.O.M.

D. O. M.

Oculos & cor Viator!
illos ad lachrymas, hoc ad memoriam
CONSTANTIÆ DONHOFFIÆ.
Sub hoc qviescit Saxo,
ad gratias cerea, ad vitium saxea,
& qvæ miserorum oculos siccauit vivens,
etiam felicium genas humectat moriens.
Semel mortua
semper dolendaa.
Sexu Fæmina,
virtutibus supra viros.
Decus qvo vixit sæculi,
invidia secuturi.
Jn veritate candida, in varietate nulla,
in virtute omnis.
Nec auri tenax, nec odij,
semper æqvè parata donare beneficia,
ac maleficia condonare.
Dum singulorum declinát injurias,
omnium amores incurrit.
Mitis omnibus, nemini aspera, pia universis.
Ut
ANNÆ POTOCCIÆ
id est Gratiæ Filiam se demonstraret,
nihil curavit magis,
quàm profusionem gratiarum.
Liberalis ultra omnium exempla,
profusa ultra sua proventa,
benefica ultra pauperum vota.
Desolatos qvos vidit,
dimisit consolatos.
Solos non aluit inopes,

quos

qvos ignoravit.
Plura appetijt, qvò plura dare posset.
Locuples esse voluit,
nè ullus esset miser.
More gentilitiæ Lunæ
in omnes
universales beneficentiæ extendit radios,
qvibus
in mari lachrymarum gemmas,
in petra inopiæ aurum & argentum,
in sulcatis longo labore egenorum manibus
amplissimam gratiarum segetem novit operari.
Corde devota & manu,
Sanctorum aras oravit simul & ornavit,
& qvas colebat Imagines,
incultas esse ferre non potuit.
Dicent Xenodochia cum gemitu,
Narrabunt Monasteria cum suspirijs,
Prædicabunt Collegia cum lachrymis,
qvaliter
in Divos divitias splendidè,
in Numen nummos profusè,
in miseros gratias copiosè,
dedit, distribuit, erogavit.
Sed heu oppositam liberalitati Parcam!
Thesaurum infodit terræ,
qvo inops ditescebat calamitas.
Lugete posteri damnum irreparabile!
Tu Viator
tantæ Benefactricis Mecœnas esto!
Coronam pro auro,
mercedem pro beneficio,
lucem pro splendore metalli,
pro irreqvieta munificentia
reqviem precare, & abi.

D. O. M.

D. O. M.

Tegit hic Lapis Viator,
qvam non una Tibi historia reteget
CONSTANTIAM DONHOFFIAM
Mariæburgensem Palatinam.
Cujus venerabere Cineres,
si mores agnoveris.
Majores Sortita,
qvos tales decerent Posteri.
Splendorem cerarum
claritate facinorum geminavit.
Inter purpuratas Prima,
inter felices secundissima,
inter Sanctas nunquam postrema.
Meritorum insatiabilem cupiditatem habuit,
in hoc uno avara!
Magnitudinem honoris contempsit,
in hoc solo superba,
Lassatam senio & titulis vitam posuit,
in hoc tantum mortalis.
Terras incolens Numen coluit,
terris exempta pro Numine colitur.
Humanis implicata, Divina non deseruit,
religiosior in palatio,
qvàm alter in asceterio.
Pro gemmis,
lachrymis pænitentibus ornabatur,
pro stibio & cerussa,
minio verecundiæ pingebatur.
Prodibat in publicum,
& secum mansit.

Egit honoranda, & honorari noluit.
Dilexit laudanda,
& laudes in odio habuit.
Defuit plerumq; sibi,
ut proximis non deesset.
Subtraxit negotijs tempus,
ut daret Pietati,
Nectebat è Rosario Serta,
ut *Fontem signatum* coronaret.
Volvebat libros, in qvibus primum caput,
Spinis, aut stellis duodecem coronatum.
Jnjurias eò toleravit æqviùs,
qvo iniqvius inferrentur, celsiorem se fecit,
qvàm ut ad illam doloris tela pertingerent.
Sui Custos non deterior, qvam Familiæ.
Deum nè improvisus adesset,
horis singulis expectavit.
Severè in se puniens,
qvæ alijs condonaret,
Vitia qvà jejunijs, qvà flagellis,
non tam qvia propinqvaverant, pepulit,
qvàm ne propinqvarent, deterruit.
Et cum nihil pro Deo non ageret
ipsam egit animam,
qvomodo solent sapientes fortiter
qvomodo debent fortes hilariter,
Terræ corpus Christianè,
Patriæ merita perfectè,
Domui gloriam splendidè,
Famam æternitati copiosè,
relinqvendo.

D.O.M.

D. O. M.

Avara mors est,
aureæ Vobis mentes cavete!
CONSTANTIA DENHOFFIA
ideò non retinuit animam,
quia habuit pretiosam.
Si fortitudinem spectas? Lacæna,
si magnanimitatem? Cornelia,
si prudenttiam? Sybilla,
Jn rerum successu modesta,
in casibus adversis læta,
in sorte utraque una,
Divinitati actionum humanitatem,
sublimitati perfectionis demissionem,
splendori cerarum umbram modestiæ
conjunxit, sociavit, copulavit.
Vel in hoc omnibus major est habita,
quod fieri non dedignaretur æqualis;
in orbis opinione una & sola,
in propria æstimatione nulla.
Sinè fastu gravis,
sinè fictione affabilis,
sinè expectatione accessibilis.
Lucrata facilitate indolis amores omnium,
felicitate virtutis omnium admirationem.
Ita dominæ negotia disponebat aulæ,
ut nemo corrigeret,
ita moderata subditis imponebat obsequia,
ut quilibet contentus esset,
ita pronum altaribus acclinabat poplitem,
ut nihil sanctiùs videretur.
Non contenta se bonam esse,
domesticos voluit facere meliores.

Gynæceum illius, verecundiæ templum.
Parthenonem dixisses,
si aulam spectasses.
Persuasit divinæ legis observantiam
ipsa observantissima.
Instillavit pietatem,
ipsa pijssima.
Illos ad latus admittere solita,
qui juxta cor Divinum essent;
procul ab aulæ limine amoveri voluit,
qui limites honesti egressi essent,
Grandis Anima,
Cibo Grandium sæpius vesci voluit.
Herois
frugi Optimæ electa ex millibus
Frumentum Electorum adamavit.
In Elisabethis Hungaria,
In Isabellis Sycilia,
in Kunegundis Polonia,
in Blancis Gallia,
vix aliquid amplius vidit.
Sed heu dolor!
quam vitæ fatigabant virtutes,
illam morborum vitia
(quæ sola corrigere non potuit)
peremerunt.
Cælo matura concidit in autumno.
Vixit annos, quos rari,
gessit honores, quos vix aliqui,
meruit nomen, quod pauci.
Olim omnibus major,
nunc in cinere nulli impar.
Superstes æternitati
soli mortua tempori.

DOM

D. O. M.

Sta Viator, & obstupesce!
mors æquat Celsissimos,
extingvit Illustrissimos,
obscurat Serenissimos.
Ad oppositionem mortalis terræ
SLUSZKOVIA lugubrem passa eclypsim Luna.
Extinctum sidus
Atticis amicum noctibus.
CONSTANTIA DONHOFFIA
fatali casu occasum subijt.
FRANCISCA, si Sanctimonium spectas,
MELANIA, si munificentiam adoras,
PAULA, si mortificationem intueris.
Ætatum, mulierum, hominum,
Historia, exemplum, admiratio.
Ita vixit
quasi semper moritura,
ita mortua quasi æternum Victura.
In periculosis cauta,
in arduis prudens,
in magnis summa.
Omnibus divisa obsequio,
integram servavit conscientiam.
Vitiorum horror, meritorum honor,
illorum fastidiô, istorum fastigia meruit.
Agenda ponderavit maturè.
egit a sæculis ponderanda.
Lachrymas inopiæ noluit vivens
a Dei Matris Pauperibus exigit mortua.
Ducunt salsas doloris filias,

 ut suæ

ut suæ parentent Matri.
Quamdiu hæc spiravit
bene speravit
Scholarum Piarum Religio.
Crevit Filius accrescens
Josephus Calasantius,
donec hæc in tumulum non decrevit Cynthia.
Digna sæculorum memoria,
quæ Musas
& literas aurô æstimavit.
Amusos exosa Dionysios,
quibus aurum
ex Apolline corradere placuit,
eundem vestivit sumptuosius.
Matrem æternæ sapientiæ
corde prosequens,
ejusdem militantes honori
Scholas Pias
manu benefica fovit.
In hoc tantùm illis injuria,
quòd immortalium operum
anhelitu plena
animam exhalavit.
Cui in hoc marmore
læsi scribimus
æternam gratitudinem.

DOM

D. O. M.

Mirare Viator!
tam angustus tumulus,
quot & quanta tegit Nomina!
CONSTANTIA
DENHOFFIA.
sub hoc quiescit saxo, sed non sola,
S. R. J. COMITISSA
geminos Nepotes habet in comitatu.
utrumq; tenellum,
si ætatem spectes,
utrumq; maturum,
si indolem admireris.
Regij Nominis hæres
VLADISLAUS
factus morti subditus,
cupressum pro lauro,
pro Corona, vitæ coronidem retulit.
Filius accrescens
JOSEPHUS
cum in gigantem crescere debuisset
ad currendam gloriæ immortalis Viam,
decrevit in tumulum.
Jn langvore mortis cadentem
nec lilia Patroni fulcire potuerunt.
Heu invida magnæ spei fata!
succidistis flores,
a quibus fructum gloriæ expectavimus.

Extinxistis in ortu Soles;
a quibus meridiem famæ præstolati sumus.
Obierunt,
qui Regni munia obire debuerunt.
Excesserunt e vivis,
qui gestorum magnitudine fidem sæculorum
excessissent.
Sta qui hæc legis, & compatere,
Parenti superstiti
serenitatem post doloris nubila,
Filijs
in' umbra mortis quiescentibus
lucem precare perpetuam.